

1337 ma iis, qui bene Reipublicæ consultum vellent, esset desiderio futura. Cæterum neque illud in postremis habiturum, ut tales Patavini in Venetos omni tempore futuri essent, quales gratissimi quique in eos qui de se bene meriti sint, esse soleant: ea videlicet gratia & officio, ut omnes judicaturi sint, Venetos suum in Patavinis officium præclare collocasse. Quod ad memoriam præsentis beneficii attineret, nullo tempore, nullo se loco destitutum, quo Principatum, dignitatem, reliquumque suarum fortunarum, Veneto nomini accepto non esset relaturus. Hæc ille; quæ circumfusa multitudo ingenti assensu & approbatione excepit. Mutuæ deinde gratulationes secutæ, tota civitas ingenti gaudio exultare: vidisses subito omnia mutata, pro metu & tristitia, in qua modo fuerat, securitatem cives & læticiam sentiebant.

Petrus &
Marsilius
Rubrii pau-
cis diebus
vita disce-
dunt.

Sed hunc tantorum successuum cursum qui in Venetis rebus erat, Rubriorum fratum casus, qui pene continuatis funeribus intra paucos dies interiere, magnopere deformati. Padua namque recepta, Montem Silicem Petrus oppugnare est adortus: quo certamine occupatus lethiferum vulnus accepit: inde Patavium relatus, ingenti omnium luctu expiravit. Fuit vir procerioris staturæ, promptissimus bellator, Imperator optimus, ab omni fævitia alienus; quippe qui illud imprimis militibus in expeditionem exeuntibus edicere solebat, ut a cæde & stupro abstinerent. Cæterum ita ob suam in omnes comitatem dilectus, ut ab Germanis equitibus, qui non pauci in ejus castris fuere, pater appellaretur. Ea ad hæc fuisse tradunt munificentia, ut præter equum & paludamentum, omnia suis profusa largitione donaret. Multi Italici generis, & ex Germanis non pauci, eum pullis vestibus sustulerunt, luxeruntque diu. Periit ætate florentissima, cum annum vitæ ageret sextum ac tricesimum. Marsilius ejus frater (qui paucis ante diebus in febrem inciderat) sexto inde die Venetiis jam quinquagenarius moritur. Rolando amborum fratri absenti, qui tum Licenses gravi bello premebat, omnium copiarum imperium est delatum. Accersitus haud quidem multo post in castra, quæ ad Montem Silicem erant, venit; neque enim Imperatoris morte